

B. h. II, 49.  
f. 7, i. 6.

X 187 6071

Q. D. B. V.

3196 2087.



IVS  
AVGVSTI  
IN ITALIAM

publice edisseret,

PRAE SIDE

CONRADOSAMVELE  
SCHVRZFLEISCHIO,  
PROF. PVBL.

THEOPHILVS AGRICOLA,  
RATISBONENSIS,

*In Auditorio Maiori,*

A DD. APRIL.

*A. cl. Ic XCVII.*

CVM PRIVILEGIO SEREN. EL. SAXON.

---

Disputatio II.

LIPSIAE, Apud NICOLAVM SCIPTIONEM.  
cl. Ic XCIIX.





# I.

**E**gnum Italiae condiderunt Langobardi, qvibus ob pertinaciam domitis, atqve ob perfidiam debellatis, summa eius regni potestas ad Germanos delata est, sublato extinctoqve regendi iure, qvod Langobardici Reges usqve ad Berengarii II. tempora habuerunt.

**II.** Ex qvo enim Rex Italiae Berengarius II. se filiumque Adelbertum Ottoni magno, Germanorum Regi, permisit, regnumqve ab eo clientelari titulo, et fide iureiurando obligata, suscepit, regni illius ratio vehementer mutata est, ut Rex non suo iure regeret, sed Ottonis magni concessu beneficioqve regno praeesset, eique ut domino, summam rerum adepto, iuxta cum filio Adelberto, deinceps teneretur. *Q*vod rationibus, auctoritatibus et exemplis confirmare licet ex Luitprando, illorum temporum aequali, *V*Vittikindo Corbeiensi, Auctore supplementi Reginonis, et inter recentiores Carolo Sionio de regno Italiae lib. IV. *Q*uem in Germanicum sermonem convertit Georgius Nigrinus, et annotationes adiecit, sed quae gravitati scriptoris non respondent, omnino autem declarant, eum in Caesarea et regia Italiae iura aliquoties iniqum fuisse.

**III.** Neqve vero in hoc regno, ante Ottonem M. Regum arbitria valebant, sed proceres sacri profaniqve, lapsis in Italia rebus, qvod per desidiam et *derelictionem* Francorum contigit, eam pepererunt sibi et confirmarunt auctoritatem, ut cum Regibus de immunitate privilegiisqve servandis paciscerentur, qvi perfidia Berengarii, promissa et pacta.

4

violantis offensi, ad unum omnes sese Ottoni M. subiecerunt. Haud obscure *auctor historiae Beneventanae* indicat, regni Langobardici proceres, priusquam Regi Berengario renunciarent obsequium, ei, nisi regno cederet, filiumque succedere sibi pateretur, denunciasse, *regnum extero Regi commissuros*, id est, translatus et tradituros, quod aliquanto post evenit.

IV. Idcirco huius regni Ordines testati sunt, regnum hoc non esse in Regum patrimonio, et proceres a cura et confortio reipublicae non exclusos, quippe eo loco habitos, ut non modo constituere et creare Reges, verum etiam, si leges regni violarent, auferre iis dignitatem, et adimere regnum possent. In quo convenit Sighonio cum scriptore historiae Beneventanae, quum tradit, summum regni urbisqve Mediolanensis Antistitem, *de more concilium vocasse, atque ex omnium, qui frequentes convenerant, sententia regnum Berengario atque Adelberto abrogatum, ad eum (Ottonem M.) detulisse, ipsumque in aede D. Ambrosii urbana, magno apparatu caeremoniaque inunxit, consecratumque ferrea (ex vulgi opinione) corona condecorasse. c.l. de regno Italiae.*

V. Sed deiectis deletisque Langobardorum Reginibus, regnum illud auspicio Ottonis M. in patrimonium gentis, nationisque Germanicae redactum est, et mutato sic rerum statu, Optimates Langobardici iure constituendi Regis excidetunt. Qvo novae potestatis regiae argumento Otto M. in tabulis A. DCCCCLXII. editis *regnum proprium* nominavit, propterea quod suis et Germanorum armis opibusque acquisivit, et pleno perpetuoque iure nationi Germanicae addixit, et aeterno foedere coniunxit, adeo ut nunquam deinceps ab Italis repeti, multo minus a Germanis, quorum sanguine partum est, ad aliam externamque nationem transferri, aut quoquomodo alienari queat.

VI.

VI. Qvin idem, qvi primus inter Germanos hoc regnum obtinuit, Otto Magnus, iam ante decretum a proceribus de transferendo factum, ius eo in regno habuit, postqvam Berengarius, eiusqve filius clade sua eo redacti fuerant, ut victori se permitterent, fidemqve astringerent, et iureiurando interposito confirmarent. *Vite hindus annalium III. quem secutus est Sigonius, et scriptores etiam Germanicos evolvit.* Hac ergo lege pater et filius regnum ab Ottone receperunt, ut nomine huius beneficii, clientelare ei obseqvium iurati profiterentur. Accidit postea, ut promissi tam sancti immemores, spreta iuriariandi religione, Ottonis dignitatem laederent, cui in Italiā reverso obsistere non poterant, viribus et consilio destituti. Igitur Ottoni regnum vindicaturo, regni illius proceres, conventu habito, assensi sunt, regiqve declarato, fidem obstrinxerunt. Otto perfidiae et perduellionis poenas ab utrisqve repetiit, ob eamqve causam regno mulctavit. His argumentis tota rei gestae ratio continetur, iustitiaqve Ottonianaē animadversionis comprobatur.

VII. Qware non est, cur exqviramus, utrum Otto sibi, an Germaniae regnum istud acqvisiverit, quando haud negari potest, maximum in eo acqvirendo Ottonis fuisse momentum, qvippe qvi auspicio ductuqve suo, nullum laborem periculumqve recusans, neqve opibus suis parcens, acqvisivit, ut familliae, qvoad superesset, ratio haberetur, nec tamen a Germania, cui summae fortitudinis fructus constabat, divelleretur. Nam dignatio *primi acqvirentis* hoc merito exposcebat, ut non temere familia eius negligeretur, cui novum amplumqve regnum, qvod *Viridarium Imperii* dicitur, natio Germanica acceptum ferret. Qvoniam vero hoc regnum virtute et impendio maiorum, viribusqve adeo et opibus Germanorum acquisitum est, prorsus ita cum Germania coaluit, ut labente Ottounum familia, regnum illud nihilominus penes Germaniam esset,

esset, et Regis Italiae imponendi ius, regniqve in universum constituendi potestatem soli Germani haberent. Alioquin rebus meritisqve Ottonis Magni conveniebat, ut eius familia non deteriori conditione esset, qvam Karolina, qvae ante Reges Langobardicos et Germanos, etiam iure hereditario regnum Italiae tenebat.

VIII. Ceterum ab hoc tempore, qvo Otto M. regnum Italiae suscepit, consensus procerum Italicorum non erat necessarius, nec modo non in eligendo Rege, sed etiam in constitendo regni statu negligebatur. Ottonis enim in eo regno successores, regia potestate, qvam is fundavit, praefuerunt, et regni negotia libere moderati sunt, non expectatis procerum suffragiis, qvae Germanis rerum potentibus, nullum ibi, ne in Comitiis quidem, pondus habuerunt. Hoc movet, ut ab eorum sententia discedam, qvi existimant, *Ordinum in Italia consilium et consensum in Comitiis requisitum fuisse. Apud Io. Schilterum, virum eximum, et iureconsultum accuratum, instit.*

I. *Publ. I. XV. 4.* Nam Germani praeterqvam qvod suo iure, et suapte auctoritate Regem Italiae constituunt, proceres quoqve Italicos Regi ab se constituto astringunt, legibusqve in Germania latis complectuntur. Illud vero est insigne documentum iuris, qvod Germania in regnum Italiae habet, eiqve Regem imponit, et leges praescribit, litesqve Principum summo iudicio disceptat ac decidit. Aliqvid huius ostendunt formulae capitaqve pactorum, cum Imperatore nuper electo convendorum, praesertim qva ad Sabaudiae et Mantuae, Mutinae qve Duces spectant, et vero ibi temperamentum potestatis speciatimi declarant.

IX. Nihil vero impedit, qvin Principes consilium dederrint, et cum Regum suorum voluntate consenserint, dummodo in ea conditione manerent, ut latis legibus se subiicerent, et leges qvoqve sine eorum consensu fierent, neqve ipsorum dissen-

sensu decreta regia infirmarentur. Hoc enim iure usi sunt Ottones, eorumque successores, atque in repugnantes sibi ac resistentes, tanquam in perduelles, animadverterunt. Quae Regum potestas tam firma fuit, ut proceres quoque non tractuum suorum se dominos, sed *nomine Regis ministros terrae* se dicerent, et non tam clientes ac beneficiarios proceres, quam *usufructuarios* se agnoscerent et faterentur. Qvod de Regulis Mediolanensisibus, qui Vicecomites appellati sunt, tradit *Albertus Argentinensis in Chronico ad A. MCCCLIV.*

X. Nondum ergo regia auctoritas in Italia, nedum in praecipua eius regione Mediolanensi, exoleverat, sed, constitutis passim Vicariis et *Potestatibus*, mandata Regum, etiam post magnum illud ac fatale interregnum, et Rudolphi Habsburgii tempora, in urbibus et provinciis curabantur. Sed Galeacii, annitentibus praecipue Luzelburgicis, opibus cumulatis, in eam se extulerunt altitudinem, ut Imperatoribus, per quos creverunt et evesti sunt, formidolosi fierent, et potestate cum titulo aucta, imperante Venceslao, prope ad Italiae dominatum aspirarent. *Io. Nauclerus Chronograph.*

*Vol. II. c. gener. 47. Theodoricus Niemius l. IV. c. 33. Nemoris Unionis.* Praeter hos scriptores Itali Villanius, Corius, Ripamontius, qui Galeaciorum consilia, artes, instrumenta, ambitionis et potentiae aperuerunt. Addendus est *Macchiavellus histor.*

*Florentin. l. I. et l. III.*

XI. Vix altius repetendum est initium imperii civiliis Italiae Principum, qvod ratione quadam summo imperio respondet, et *territorii* nomine definitur. In quo redarguenda est Luzelburgicorum, Caroli IV. et Venceslai indulgentia, qvod dandi et concedendi modum excesserunt, Vicariis ducibusque hereditaria lege constitutis, contra primi acqvirentis sententiam, in regno iure belli parto, et in ea sigillatim provincia, quam Otto sibi iure proprio addixerat,

eo-

eodemque titulo successoribus regendam tenendamque reservat. Qvae causa fuit graviter conquerendi Niemio, non sine stomacho scribenti. *V*Venceslaus Rex patrizando (patris prodigalitatem imitando) *nobilissimam ac famosissimam provinciam Lombardiae* (vero et antiquo nomine Langobardiae) quam ipse Otto magnus Augustus Viridarium imperii appellavit, et eidem Imperio singulariter incorporavit (arctissime coniunxit) ut per Imperatores, et Reges Romanos (Reges Romanorum Romae, aut Romanae ditionis urbe non consecratos) qui essent pro tempore, iure proprietatis perpetuo (nullo principe interposito, qui ius regendi clientelare, summoque Regis imperio devinctum habeat) etiam quodammodo separando ab imperio (non divellendo, aut dissolvendo imperii nexum, sed regimen dyntaxat mutando, quod iure magistratus antea Vicarii imperiales in Langobardia habuerunt, et concedendo ius beneficiarium, dominiumque utile constituendo) in optimo foro vendidit tyranno, nempe Ioanni Galeacio, qui praeceps Italiae urbes, Veronam, Vicentiam, Patavium, Perusium, Assisium, Rivas, in potestatem suam rededit, sublatoque Bernabove patruo, ac devictis Scaligero et Carrario, totum Insubriae principatum in ditione habuit, atque in Etruriam et Umbriam fines protulit, Mantuanumque sibi obnoxium reddidit, in eoque Imperatoris, qua Regis et domini, auctoritatem neglexit, atque ab officio patris et patruorum discessit. *Iosephus Ripamontius hist. Mediol. decad. III. lib. 3.*

XII. Haec Galeaciis via patuit, qua ad hereditarium Insubriae principatum pervenerunt, quorum casu, simul ut Ioannes Galeacius oblitus, finiti misrecti, et exemplo incitati, praefecturas et vicarias dignitates istum perpetua, sed Regibus devincta, potestate commutarunt, nec praesides provincialium, et magistratus, sed principes facti, comitesque electi,

et *Marchiones* appellati, hinc maiori potentia et auctoritate Duces renunciati, tum *Vicecomites* quoque ritu et pompa apud Italos insolente, cum nomine ducis, et iure quod ad posteros transit, creati, quorum primus in tantae possessionem auctoritatis inductus, et solenniter inauguratus est Ioannes Galeacius, misso eam ad rem Benessio, qui Venceslai, summi Italiae Principis, beneficiariique domini personam sustineret. *Ripamontius c. l. p. 257.* Vere igitur meritoque a Venceslao dicitur principium imperii civilis, in Italia constituti, at summo devincti, et a regio temperatione quadam dependentis. Quanquam alii a Carolo IV. arcessere malunt, qui *Vicecomitem* instituit Galeacium, et concessa hac dignitate, supra ceteros extulit per Italiam vicarios, sed eam potestatem, quae complexu suo omnia regionis iura, sub una et summa potestate continet, ac in territorii fines descripta, trito hodie vocabulo *superioritas* dicitur, demum Galeacii filio, Ioanni Galeacio, Venceslaus novo in Italia more est imperitus. Neque illis assentior, qui hoc exemplo ducti putant, ius illud, quod regionem potestate, regno devincta, complectitur, ex Italia traductum fuisse in Germaniam, propterea quod Germani huius possessionem dignitatis multo ante adepti sunt, et inde ab ultimis regni initiis, ius pacisendi cum Regibus sibi vindicarunt. Contra Italiae proceres Ottoni M. et successoribus eius subiecti, Germanis de se statuendi potestatem permiserunt, ex eoque tempore sui iuris esse desierunt.

XIII. Postea rebus, labente republica, turbatis, viribusque regnantium inclinatis, alii post alios potentiam sibi conflagrunt, et maiora quaedam iura affectarunt sensim atque usurparunt, nec tamen simul et universe statim obtinuerunt; quaedam concessu Regum, quaedam patientia ipsorum compararunt, in primis ad ius numi cudendi, atque ad vectiga-

lium exigendorum potestatem aspirare coeperunt. Idecirco Fridericus, Aenobarbi cognomine appellatus, instauravit dignitatem pristinam, et auctoritatem regiam, illustri Ottonum exemplo, confirmavit, reductis stabilitisqve iuribus, quae per temporum iniuriam neglecta, aut imminuta videbantur. Testis est locupletissimus *Radevicus*, in conventu publico iura regni vindicasse, proceresqve iussis Friderici obtemperasse, et omnia, quaecunque ad se traxerant, reddidisse. *Lib. II. cap. 5. de gestis Frider. I.* Nihilo secius paruerunt urbes, et iudicio Regis acqvierunr, speciatim Mediolanenses et Ligures *apud Guntberum, Ligurini lib. IIX. Otto Sanblasianus in appendice Chronici Ottonis Frisingensis cap. XIV.* Ingenue is, quem paulo ante nominavi, Radevicus; *super iustitia regni* (Italici) *et de regalibus* (ducatuum, marchiarum, Comitatuum, Consulatum, item monetae, teloniorum, vectigalium) *quae longo iam tempore* (usurpata non usucpta) *seu temeritate pervadentium* (nullo concessionis regiae titulo habentium, et aliena invadentium) *seu neglectu Regum Imperio deperierant* (non penitus extincta, sed turbata bellis factionibusqve Italia, vi doloqve intercepta) *studiose differens* (deliberans et restitutio-  
nem flagitans) *cum nullam possent invenire defensionem ex-  
cusationis* (causa ceciderunt, nec titulum docere potuerunt) *tam Episcopi, quam primates, et civitates uno ore, uno assen-  
su, in manum Principis* (Imperatoris et Regis Italiae) *regalia  
reddidere*, exceptis duntaxat iis, qui donatione beneficioqve Regum se, salvo summi imperii iure, tuebantur. *c. l.* Quid de causa Imperator legum peritos consuluit, auditisqve eorum rationibus et sententiis, abalienata *regalia* postliminio et plene recepit, redditusqve eo nomine debitos aerario addi-  
xit, et potestate regia Italiae negotia constituit, mandataqve promulgavit. In tabulis eqvidem *praecepti imperialis* for-  
mula ante oculos obversatur, quae summum Regis imperi-  
um

. . . . .

um notat, qvia Imperatores Augusti regio titulo Italiam habent, qvamvis eo, salvis regni Italici iuribus, non utantur, more seculorum veterum, qvae titulorum parciora erant, et in uno Imperatoris Augusti titulo, ut qui sanctitate et splendore omnes Regum titulos vinceret, acqvescebant; in iuribus autem privilegiisqve *imperiali auctoritate* concedendis, regnum qvoqve exprimebant, et *imperiali beneficio, ac regni nomine regalia* possideri testabantur, *in tabulis passim, et apud Radovicum cit. loco.*

XIV. Verum dignitates illae eminentes, et iura, qvae *regalium* appellatione iampridem curia insignivit, nondum ea tempestate universam ditionem complectebantur. Certis enim definitisqve partibus constabant, neqve ad eam matritatem pervenerant, ut tantam potestatem absolverent, qvanta qvidem *territorii* nomine continetur. Clarum certumqve huius rei documentum est, qvod diu post Friderici I. excessum, Henricus Lucelburgicus, Imperator huius nominis VII. ius numi cuđendi seorsim ab aliis iuribus concessit, qvod scriptum reliquit *Conradus Vecerius, Spinulae, inquit, Marchioniqve Montisferrati cum alia dignationum genera, tunc ius monetae cuđendae tribuit, apud Vrſtisum in vita Henrici VII.* Non hic ius, qvod potestate *territorii* definitur, attributum est, nec dominium, aut iurisdictio per omne *territorium* patens concessa, propterea qvod speciatim *ius monetae* indicatur, neqve ultra fines, qvibus *concessio* illa circumscribitur, proferri debet. *Dignationes* qvoqve non afferunt ius in *territorium*, sed ad munia et honores spectant, ab ea tamen potestate et *sublimitate*, qvae *superioritas* dicitur, se iunctos.

XV. Dučatus, *Marchiae*, Comitatus, non e o, qvo postea, nexu proceribus astringebantur, sed vicaria quadam ac praefinita potestate regebantur, et Regum voluntate be-



neficioque, sine iure *territorii*, conferebantur, atque adeo sine *regalibus*, quae *territorium* deposit et continet, possidebantur. Deinde cessavit haec regendi ratio, et praefecturis in dominia versis, dignitates illae cum *territoriis et regalibus* copulatae sunt, ac perpetuae fieri coeperunt. Nec tamen defuerunt, qui dominatum concupiserent, et administratione abutentes, multa supra conditionem suam captarent. Ecelinus, quem Guelphicarum scriptores partium odio habent, antiquas Italiae urbes pro Imperatore rexerit, nec alia, quam vicaria potestate functus est, atque ad curanda et confienda Imperatoris mandata se astrinxit, cum apud eum de administrationis vitio deferretur. Tunc ait. *Mandata D. Imperatoris* (Friderici II.) *firma mente tenebo. Antonius Godus Chron. p. 47.* Quem alii tyrannum vocant, etiam si pro iure Imperatoris regio bellum gesserit, defectionemque urbium acriter castigarit. *Monachus Paduanus Chron. lib. I. Nicolaus Smeregus Chron. p. 59.* qui factio Guelphiae student, quos incute alti, maxime recentiores, et Muretus insuper metachronismum committens, sequuntur. Erat quidem Ecelinus vehementis, et ulciscendo nimius, sed Imperatoris partes secutus, et Guelphico nomini infensus pariter invitusque. Haud aliter cum Palavicino actum est, qui pari constantia Guelphis, ac sociis eorum Atestinis restitit, nec modo nihil de regio Imperatoris iure detraxit, sed quoque summam eius in regno Italiae auctoritatem defendit, et ut Paduanus loquitur, *ccepit Ecelini vestigia imitari, Chron. lib. II. fin.* Nec vero urbes factionibus turbatae, a regno se disiunxerunt, cum vicariis Regum imperiis, salvo erga Reges vinculo, obniterentur. Quid tempore Gvidonis Turriani evenit, contra quem Vrbs Mediolanensis, excito e Germania Henrico VII. auxilium imploravit, eumque liberatorem et vindicem expetiit, et acceptum.

pit. *Calchi Continuator Ripamontius decad. III. lib. I. p. 60.*

XVI. Habet adeo Italia unum Regem, et unum dominum, iudicemque summum, cuius imperium per universam patet Italiam, regni iure constitutam. Quo tenentur omnes Italiae Principes, et urbes a principum dominio exemptae eodem obligantur, atque ut *naturali domino* suo devinciuntur, iure nimirum per Ottонem M. fundato, perque Fridericum Aenobarbum solenniter instaurato, qvod constante Italiae regno manet, et soluto clientelae nexu, remissoque huius nomine sacramento, nunquam solvit, nec mutatur, argumento perpetuae et indissolubilis, quae ex illo imperio oritur, obligationis. Hanc profitentur Legati Vrbium, et summae Regum potestati se subiectas esse testantur. *Tu sumus, te dante provinciam, urbesque regimus: tibi pecunia et milite, ubi opus est, praesto sumus.* Hinc non modo *Dominum* appellant Caesarem, sed et *naturalem Dominum* agnoscunt, et *reditus, iustitiae administrationem, libertatem* (certam et circumscriptam) *non indita* (quam naturalis subiectio respuit) *sed data* (concessa et donata) *non usurpata* (sine fraude et vitio quae sita) *sed a Caesaribus accepta iactamus*, id est, bono titulo, nec iure Imperii delibato, nos possidere gloriamur: *apud Antonium Possevinum, omnino bac recte ex Actis Friderici I. et Radevici historia colligentem, Gonzagae lib. II.*

*p. 133.*

XVII. Quare nihil summo Regum imperio ademptum est, ne tunc quidem, cum intestinis procerum dissidiis Italia laboraret. Rudolphus I. eam non ingressus est, qvod rerum Germanicarum satagens, regnum illud per vicarios regebat, et consilio plus, quam armis pro illo tempore efficiebat. Albertus bello civili impeditus, cis Alpes substitit, et pristino in statu omnia reliquit, certe nullam regii imperii partem ven-

dedit, aut abalienavit. Post utrumque Henricus VII. iure suo usus est, et auctoritate regia urbium controversias decidit, factiones compescuit, et urbibus rectores dedit, vicariosque instituit, Gvidonem Turrianum, dominatui inhiantem, ad privatam conditionem rededit, Matthaeum *Vicecomitem* sibi obsequentem habuit, sed postea suspectum exilio mulctavit, eumque, conciliante *Garbiniatensi*, restituit, atque hoc deinde initium et gradus fuit ad potestatem vicaria maiorem, quam ea occasione Galeacii, salvo Regum iure, obtinuerunt. Adhuc supersunt *Imperatorum epistolae*, ad *Vicarios et urbes regni Italicis prescriptae*, summi vim dominii comprobantes, ut vel harum documento purgetur Rudolfus, huius nominis primus, et prodigalitatis, quam recentiores nullo idoneo teste memorant, absolvatur. *Langobardia* propria, quae verum et vetus, imo praecipuum huius regni membrum est, Henricum Caesarem trans Alpes venientem libenter suscepit, et fide officioque cultum, in primario urbis Mediolanensis templo Regem inauguraravit. *V. Corius, Vecerius, et Ripamontius*. Inde Apennini iuga transcendit, et emendato Langobardiae statu, urbes provinciales obiit, et ius regium confirmavit. *Liguria*, quae a Varo fl. ad Macram patet, Henrico obediens fuit, huiusque caput Genua est, *principem dominumque* appellavit. *Apud Vecerium d. l.* Fatur quidem *P. Bizarus*, urbem et universam Liguriam iuris-jurandi sacramento se obstrinxisse Caesari, sed perperam tradit, primum hunc fuisse externum dominum, quem Regem et *naturalem* dominum, cuius in ditione et potestate erant, appellare debuisset, eo modo, quo aliae, et Regi obsequentes urbes, *Dominum nostrum*, summi regiique dominii argumento appellant, *Hist. Genues. lib. V. p. 98.* Eodem iure *Sardinia*, quae saepe suos mutavit dominos, et postremo ad Aragonios pervenit, Liguribus relicta, fiduciario nomine ab

Im-

Imperatore Ahenobarbo concessa. *Vb. Folietā bīst. Genuens.*  
*I. II.* Nec vero *Tusciam* neglexit, qvam nobile Imperii mem-  
 brum vocat *Petrus de Vincis l. V. ep. 126.* Ante alias *Tusciae*  
 urbes, *Pisana* praeponens, et re navalı florens, fidei inprimis  
 suae, et religionis memor, *Regem accepit, dominumqve con-*  
*salutavit, ut Vecerius affirmat.* Reliqua Etruriae oppida,  
 qvae imperata non faciebant, officiumqve deserebant, ut per-  
 duelles mulctavit, et bello persecutus est, *Castellionem Etru-*  
*scam* armis subegit, *Corbonam Aretiumqve adventus sui fa-*  
*ma terruit pariter ac inflexit, ut appropinquantि obviam irent,*  
*mandataqve obedienter curarent.* Iam *Florentiae*, expugna-  
 tis arcibus et castellis proximis, imminebat, reversusqve Pi-  
 sas, severa in rebelles *Tuscos* edicta promulgabat, haud du-  
 bie executurus, si produxisset vitam. *Vecerius c. l. Tabulae*  
*apud Muffatum extant, in qvibus Tuscia inter subditas impe-*  
*rii Romani provincias numeratur, lib. XIII. de gestis Henrici*  
*VII. Caesaris.*

XIX. Omnino res sacri imperii agitur, cuius iura-  
 servari par est, et, qvum necessitas postulat, vi armisqve de-  
 fendi, hoc magis, qvod Imperatores sua potestate res Italiae  
 constituunt, dummodo nihil auferri et abalienari patientur.  
*Qvo ex capite Apulia qvoqve Imperio obligata est, in cuius*  
*Regem Imperator lege perduellionis animadvertisit, qvod foe-*  
*dus ad suam et Imperii contumeliam pepigisset, Tusciamqve*  
*Imperii provinciam, in factiones et studia partium distraxis-*  
*set.* Iure summae potestatis Imperator sententiam tulit, ac  
 pronunciavit, Robertum Apuliae Regem, *ob laesam maiestatem*  
*Romani Imperii paterno regno, provincialique Comitatu ex-*  
*cidisse.* *Vecerius in vita Henrici p. 72. Vrſifianae editionis.*  
*Ante hunc Nicolaus Specialis, illorum scriptor temporum, et*  
*qvod caput rei est, Neti in Sicilia natus, de Roberto tradit,*  
*eum hostem imperii iudicatum, et causa cognita, criminis*

atroc-

atrocissimi damnatum. *Hic autem (Henricus Imp.) afferens Robertum Regem esse Vassallum Imperii, cum tanquam contumacem, atque suae imperiali coronationi apud eandem urbem (Romam) per Ioannem fratrem eius, et alios armata manu hostiliter, et multa effusione sanguinis obstantem, pluresque civitates et terras (Etruriae, et aliquas Lombardiae, Florentiam, Senas, Lucam, Pistorium, Bononiam, Cremonam, Brisxiā) ab imperio svazone multiplici revocantem, hostem reipublicae (Imperii) nominavit, et tanquam reum criminis laesae maiestatis Caesareae sententialiter (de consilii sententia, ut Vecerius) condemnavit.* Rerum Sicularum l. VII. c. 1. Sententiam Pisis latam, in tertium decimum historiae librum retulit Albertinus Mussatus, p. 70. seq. Non hic tantum perfidia et simplex delictum, sed maximum illud crimen, qvod fidem simul et obsequium solvit, describitur, cuiusmodi est *laesae maiestatis*, qvod non merus princeps beneficiarius, sed imperio subiectus committit. Duplicem hic personam sustinet Henricus, unam qva Imperator et Rex Italiae, alteram qva Rex transalpinus et Arelatensis; illius enim ratione Apuliā et Calabriā, huius argumento Comitatum Provinciae Roberto abiudicavit, et utroqve modo summam potestatem, qvanvis ex diverso habendi iure, haud obscure ostendit.

XIX. Praeterea hunc Imperatorem *Sicilia* propria, qvae trans fretum est, maximopere coluit, comiterque habuit, et munere dato, pecuniaqve missa, ius agnovisse visa est, qvod Henricus VI. Hohenstauffius connubio qvaesitum, suo primum auspicio ad Romanorum imperium adiunxit. *Legati*, inquit Vecerius, a Rege Siciliae Friderico (huius nominis II.) mari deportati, donum aureorum millia viginti afferrunt, foedus amicitiamque petentes. Cuius foederis ea ratio fuit, ut praecipuam Imperatori dignitatem relinqueret, et  
maie-

maiestatis comiter conservandae fundamento niteretur. Hoc iure Imperator Regem bello naval i praeposuit, et summum maris, qvod Italiam alluit, praefectum constituit, ut Robertum perduellionis reum infestaret, et regno everteret, suo et imperii nomine ultior futurus. In hanc sententiam scribit auctor Siculus Specialis. *Friderico Regi, quem iam praefeccerat Admiratum (Archithalassum) imperii, bellum Roberto Regi indicere, atque terram, quam tenebat, invadere imperiali, qua fungebatur, auctoritate mandavit.* Qvae satis indicant, Fridericum adeo non oblitum esse pristini Imperatorum iuris, ut contra susciperet partes ab Imperatore sibi demandatas, et huius adeo auspiciis praecesset classi, qvod sane aeqvo foedere fieri non potuerit.

XX. Cum vero haec belli navalis praefectura ad mare in primis Tyrrhenum et inferum spectaret, tum de Adriatico submonendum est, eius ratione Venetos Imperatorem adhuc reveritos videri; qvorsum pertinet Vecerii testimonium hoc loco non praetermittendum. *Idem Episcopus (Genevensis, Imperatoris Henrici VII. cognatus) profectus Venetias, tributum pro vetere consuetudine postulavit. Appulso ingens honor habitus, ad numerataqve in tiaram Romanam talenta Veneta mille.* Qvod documento sit, Imperatores summo dominio non tantum continentem regni Cisalpini, sed etiam *Stagna Adriatica* et insulas eius nominis complecti voluisse, et ut in aliis Italiae civitatibus, sic Venetiis etiam ius sibi reservasse, cumqve ob inaugurationem Caesaream expeditiones Romam susciperent, annonam et pecuniam flagitasse, ac in omnibus immunitatum et privilegiorum concessionibus atqve confirmationibus sigillatim excepisse *fodrum regale et consuetum*, qvod nec ipse Sigonius, veritate victus diffiteri potuit ac dissimulare. Illud pro certo affirmandum est, Venetos ad haec usqve tempora nihil in Continente Italiae sibi vindicasse, nec

C

dum

dum possedisse Continentis urbes, *Tarvisium, et Tarvisinam Marchiam, Patavium, Brixiam, Vicentiam, Veronam, Bergamum*, regno Italiae per vim subtractas, at nulla iuris cessione ab alienatas. Qvod de Henrico satis constat, cuius edictum *per universas et singulas Lombardiae ac Marchiae Tarvisinae civitates exiisse, confirmat Maffatus l.v.*

XXI. Ergo Italia omnis, ne maritima quidem excepta, a principio regni Karolini, et hoc sublato, ab initio Ottoniani, sub iure Imperii constituta est, cum parendi, et praestandi muneris, qvod imperanti debetur, obligatione, per leges et consuetudinem inducta, quae tam firma est et stabilis, quam ipsa haec potestas, unde vis obligandi proficiscitur, perpetua est, et semper manet. Etenim hoc regnum novis Germaniae auspiciis coeptum, non ex Carolino derivatum, neque ex ruinis eius restauratum, et postliminio restitutum, neque cum familia regnante, ut apud secundae stirpis Francos erat, sed cum natione, quae nunquam tota interit, nexus, atque ex prima origine et contextu suo aestimatum, *originariae Vrbis libertati officit*, nec sui plane iuris et arbitrii relinquit. Indicio huius rei sunt privilegia, quibus maiestas agnoscitur, ab Imperatoribus concessa, et obligatio curandi res, ad iter Caesareum necessarias, quae in annona et pensione, transituque tuto praestando, consistebant, et redintegrata cum Lombardis ac Venetis pace, expressa Imperatoris stipulatione excipiebantur. Cuius formula confessionis extat *apud Sigonium de regno Italiae lib. XIV. p.338.* Sed naves praebuisse non lego, maiori, ut colligere est, immunitatis argumento, qvod Pisanos tamen et Genuenses fecisse constat, cum urbes in continente addictius regerentur. Post Henrici tempora, maxime post annum MCCCXXC. victis ad Fossam Clodium Genuensibus, et classe eorum viribusque deletis, potentia navalis, et opes Vrbis auctae, contra vicinorum in continente robur infractum,

aut

aut aemulatione distractum, et exinde *fodrum regale et consuetum* exigi desitum, nunquam tamen, nec Lucelburgicis regnantibus, urbi remissum et cessum, multo minus a Ruperto horum successore alienatum, cuius adversam apud Insubres fortunam subsecuta quidem est insignis rerum communatio, et Galeacios extulit, Venetosque patefacto iam in Lombardiam aditu, ad proferendos fines erexit. *Mussatus lib. II. de gestis Italicorum post Henricum VII.* Qvae tamen eiusmodi videntur esse, ut urbem ab antiquo Italiae regno non prorsus excludant, sed eam in conditione praestandi *fodri et consueti* relinquant, et in acquirendo iure bonam fidem, in agnoscendo veritatem exposcant. Diuturna Caesarum absentia nullam Caesarei Imperii cessionem indicat, nec pristinum dominum mutat, qvamvis hac occasione *novos Italia Principes, Gonzagas et Atestinos sortita sit, auctore Sabellico decad.* *II. lib. I.* Non tamen ideo positi sunt extra fines regni, aut constituti extra ius Imperii, imo ne veri quidem ac legitimi habitu ante concessionem et confirmationem Caesaream, qvod de Francisco Sfortia constat, quem de ea causa *tyrannum et novum hominem* nominavit Fridericus III. (aliis IV.) Imperator. Agnovit deinde possessionis vitium, et affirmavit, *terram Lombardiae Caesaris nomine se tenere, apud Aeneam Sylvium in historia Friderici III.* Eidem Imperatori fidem obstrinxit Borsius, et impetrato Mutinae Regiique ducis titulo, obsequium devinxit, qvod *Aeneas Senensis testatur.* Haec et alia iuris Caesarei argumenta Vrbem admonent, ut maiestatem Caesaris minime negligat, maxime obstructus et oppida continentis, qvorum nomine id fieri par est, ne in mala fide, qvae labem possessioni affert, constituantur. Nam qvae magistratibus et non dominis, aut dominis fiduciaria lege summae potestati devinctis erepta possidentur, neque ullo voluntatis signo cessa intelliguntur, neque incon-

sulto, nec refragante summo principe cedi alienarive possunt, haec omnia eius generis sunt, ut possidentis animo religionem iniiciant, conscientiamque usurpantis dubiam reddant, et transferendi adeo dominii facultatem non concedant. Sigismundus nihil praeter Patavii, Brixiae et Bergami *vicarium assignavit*: Fridericus III. Romam profecturus, urbem transiit, et omni officio cultus est, cui Dux Franciscus Fuscarus *devotam populi mentem commendatam esse voluit, quod sigillatim annotavit historicus Senensis, in vita Friderici Imp.*

*p. 97.* Iustinianus Vrbis legatus Maximiliano Caesari, ut imminens Caesaris bellum averteret, senatus de restitutione sententiam aperuit, et promotos a continentis ora fines ad Imperii, ducatusque Austriae detrimentum pertinere, haudquam dissimulavit, et urbem omnium, quae in continenti possideat, iuri renunciaturam, publicae voluntatis interpres dixit. *lib. VIII. hist. Franc. Gvicciardini.* Veritatem rei gestae firmat *Ludovicus Tubero*, et scriptori Florentino, cuius fidem multi suspectam habent, permagnum pondus affert, ingenue scribens, *voluisse omnibus Italiae urbibus, totoque continenti cedere, et insuper quinqaginta millia numum, quae in singulos annos penderent, promisisse: de temporibus suis lib. IX. p. 245.* Neque enim urbes illae religione obsequii se exolvere potuerunt; Caesares autem eo minus pristinum in eas ius amiserunt, quod Vicariis et fiduciariis dominis *Ludovico Deckio, Scalanis, Sfortiis*, et obligatis sacramento clientibus ademptae sunt, salvis tamen rationibus Caesorum, quippe sumimorum et *naturalium* Italiae dominorum, qui omnem alienandi suspicionem evitarunt, et a cessione iuris Caesarei constanter abhorruerunt, nec modo retinendi, sed etiam, si quaedam erepta essent, repetendi voluntatem signis bene multis declararunt. Haud dubitandum est, quin reverentia eorum, qui ita possident, animos subeat, ut Cae-

fa-

fares, nondum remisso in mediterraneas urbes nexu, fide et officiis colant, et proferendorum finium ergo nihil turbent, memores illorum temporum, qvibus fines non ultra insulas et stagna urbis patebant.

XXII. Extant publicae Imperatorum tabulae, et clientelarum regni Italici indices, qvibus nomina urbium fide et obseqvio Imperatoribus devinctarum continentur. At in novissima *Gerzvveileri* designatione plures clientelae et urbes, qvae ad imperium ac regnum Italiae pertinent, omisae sunt, vel qvia superiori statu mutato, erant in ditione principum, vel qvia privilegiis et immunitate munerum, qvibus tunc perqvirendis non suppetebat otium, se tueri cupiebant: vel qvia ob inopiam et difficultates numarias, salva in eas summa imperii iurisdictione, ad tempus negligebantur: Caesari nihilominus se audientes esse confirmabant, summanque eius auctoritatem agnoscebant: reliqvarum nomine principes et respublicae Caesari, tanquam summo capiti tenebantur. Sigillatim tractus ducatusqve *Lombardiae*, est provincia utiqve nobilis, et pars Romani Imperii preciosa, in rescripto Friderici II. apud Goldastum t. II. p. 51. Qva de causa *Mediolanum Imperatoris et Imperii patrimonium dicitur*, R. I. 1542. §. 3. Qvin et *Finarium*, *Marchionatus* honore praeditum, est verum regni Italici membrum, sententia Caroli V. post longam litis concertationem, victis iudicio, qvos *Jacobus Menochius* defendit, Liguribus, confirmatum. Ducatum hunc Ludovicus Boioarus, sublatō *Vicecomitum* principatu, in ditionem redigit, veterumqve Imperatorum exempla secutus, provinciam fecit, teste *Mussato in Ludovico Bav.* Sed postea cum *Vicecomitibus* in gratiam rediit, et Azonem cum Vicarii potestate constitutum, liberaliterqve habitum, maioribus quoqve beneficiis ornavit. *Ripamontius* dec. III. l. 2. p. 145. Luzelburgici etiam cumulata liberalitate

noti, summa nihilominus *Lombardiae* iura servarunt, nec regni eius, cui dictus principatus subest, curam abiecerunt. Docet hoc firmatque liber, *Notitia status Etruriae*, inscriptus, et imperante Carolo IV. confectus, quo fidelium Caesarique obsequientium civitatum et castrorum nomina posteritatis memoriae traduntur, et perfidiae simul ac perduellionis reae urbes, iure Imperatorum Regumque integro, designantur. De *Senis*, et pluribus Tusciae locis regno Italiae comprehensis, sive per se Dux Mediolanensis possideat, sive aliis titulo fiduciario concedat, imperio devincitur. *Apulia* ut se habeat, supra attigi, cuius repetendae causa Henricus VII. et hoc mortuo, Ludovicus Boioarus, armis experiri voluerunt. De altero testes protuli, de altero tradit Albertus Argentensis. *Ludovicus* (IV. Imp.) terram Roberti Regis, scilicet Apuliam, ingredi intendebat. Robertus quoque collectis omnibus terram illam relinqvere, si Caesar accelerasset, et in provinciam intenderat se transferre. Chron. p. 124. *Albertinus Mussatus in Ludovico Bav.* p. 6. Huius, quod apparavit, belli causa non aliunde sumpta est, quam a violata imperantis auctoritate sanctissima, et utique a spreta *sacrosancti* Imperii summa, qua ad Apuliam pertinet, iurisdictione. De eiecto ex Apulia Rogerio, et iure per Lotharium II. vindicato, legendus est *Otto Friisingensis* Chron. l. VII. c. 20.

XXIII. Taurinorum principatus ad Italiam spectat, quem veteres Langobardi, *ducatus* titulo, in ditione sua habuerunt, inter quos non piget hic referre Agilulfum, et Garibaldum Taurinorum duces, quorum meminit *Paulus Diaconus de gestis Longobard.* d. l. III. c. 30. et l. IV. c. 53. ex eo Leander *Albertus in descriptione Italiae, speciatim in Taurinis.* Franci deinde et Saxones per magistratus et vicarios huius ditionis populum rexerunt, et Taurinorum urbi praefectos imposuerunt, quod de Henrico VII. tradit *Mussatus in vita eiusdem l. I.*

p. 3.

p.3. Illi Caesarum, pro qvibus curabant, beneficio Comites facti, et *Marchiones* dicti sunt, qvod custodirent claustra Alpium, qvibus Italia aditur. Ita coepit et institutus est *Pedemontis* principatus, extra Sabaudiae fines in Gallia subalpina, et in ipsa adeo Italia Langobardica, cuius partem cis et trans Padum complectitur, acquisitus. Apte distingvit Mussatus, et indicat tractus in duo regna descriptos, ac diverso iure et ditione comprehensos. *Ameus* (Amedaeus Comes huius nominis IV. qui Henricum VII. Alpes transeuntem comitatus est) *Comes Sabaudiae* (in regno Arelatensi Germanicae ditionis) *provinciae Longobardiae* (in regno Italiae) *Comes, de gestis Henrici VII.* L. IV. p.22. Vterque comitatus in principatum versus est, qvorum alter *ducatus* titulo in tractu Allobrogum et Sabaudia, alter apud inalpinos, qvorum caput Augusta Taurinorum est, constitutus, coniunctam habet dignitatem *Vicarii* per Italiam generalis, Thomae Allobrogum regulo, *Pedemontis* Comitatum adepto, Friderici II. auspicio concessam, sed primum a Sigisimundo cum novo ducis Sabaudiae titulo, Amadaeo VIII. attributam, et perpetuo habendi iure confirmatam, qvae post varias superiorum temporum vicissitudines, ancipitemque Caroli Emmanuelis II. fidem, summi auctoritate Principis adempta et reddit, atque in Caesareae pactionis formulam relata, propterea qvod eam Duci postliminio restituendam *Electores* ab eligendo Imperatore stipulati sunt, in *Capitul. Leopold.* §. 4. et *novissima Capit. Iosephi Regis Roman.* §. 4. adiecta, qvae fidem ducis obligat, clausula, ut Caesareis mandatis, inhibendi et avocandi causa editis, morem gerat, qvanquam Caesar nihilo minus in hodierno Duce Victore Amadaeo II. constantiam foedere et fideli officio dignam inerito requirit. Is ceteroquin in Gallia subalpina *Dux* est propter *Salassios*, Italiae transpadanae populos, ubi *Augusta Praetoria*, praecipua urbium, et caput gentis. *Marchionatus Italiae Vicariatus* muneri percommoidus,

dus, atque ob situm loci, transitusque opportunitatem huius familiae Ducibus concessus et collatus, manifestum est Caesarei iuris documentum. Mons Ferratus, Italiae Cispadanae principatus, sententia Caroli V. Imp. Carolo III. Allobrogum duci abiudicatus est, sed litem iudicio Caesaris sponitam, et denuo excitatam, pactio Ratisbonae, et Clarasci inita finiit, ac novissime pax Westphalica firmavit. *P. Bizarus, Ant. Possevinus, Ripamontius, Instr. pac. Monaster. §. Item ne controversiae, Capitul. Leopoldi, et Iosephi §. cit.* Omnia huius Ducis iura, beneficio Caesarum constant, et possessiones quaedam, nexu beneficiario solutae, continentur imperio Caesaris, quod remissio clientelae vinculo, adhuc iure summae potestatis manet.

XXIV. Mantuae ducatus beneficio et fidei Caesaris obligatus est; *Marchianatum* Sigismundus instituit, quem alii ad ultima Ottonis M. tempora reiiciunt, nulla veterum auctoritate, indiciis etiam contrariis, quae vitium *Ottomanici diplomatis* produnt. Antea enim in ea urbe comites et vicarii Caesarum *potestatis* titulo curarunt, et probato Caesaribus obsequio, potentiam simul et dignitatem auxerunt, cumque illi principum Italiae lites dirimerent, causa cognita, plerunque Gonzagae duces vicerunt, et fide non suspecta, officiisque sinceris summos augusti nominis Principes sibi devinxerunt. Sed Carolus Gonzaga Nivernius, cum Ferdinandi II. auctoritatem negligenter, legibus et armis ad obsequium redactus, Caesaris sacramento fidem obstrinxit, ab eoque tempore Vincentio II. agnato legitime successit. Hodiernus Dux Carolus IV. inconsulto beneficii domino, Vrbem Casalensem externo regi vendidit, atque ab officio fiduciarii Principis discessit, quam Caesar superiore anno suis foederatorumque armis recepit, adituque Padi firmato, quietem Italiae et pacem denuo stabilit. *Derebus Mantuanis legendi Julianus Gofellinus, Antonius Possevinus, Baptista Saccus, in eumque P. Lambecius, de bello*

*Mantua*

*Mantuano Vassembergius, aliique.* Eandem obseqvii gloriam Caesari debet *Gwardistallum*, ducatus honore praeditum, iure et ditione cum ducatu Mantuae denuo coniunctum, *Gvastalla* hodie nominatur. *Novellaria, Italis Novellara,* cum principatu huius nominis, perinde ac Mantuanus, cum quo necessitudinem habet, legibus imperii tenetur. Quorsum spectant *Bozolum et Castellio Stiverorum, vulgo Bozzolo, et Castiglione.*

XXV. Mutina ab initio regni Langobardici maiestatem Imperatoris coluit, et mutato Vicariorum regimine, duces accipit, praemiumque fidei acque ac *Regium* tulit. Primus Dux Mutinae et Regii constitutus est Borsius, Marchio Atestinus, a Friderico III. illac transeunte, ad novam dignitatem elevatus.

*Aeneas Sylvius in vita Friderici p. 94. Io. Baptista Pigna hist. l.*

VII. Legitima Borsii soboles defecit in Alfonso II. et uterque adeo ducatus ad Imperatorem iure *caduci* pervenit, sed Rudolphus II. successionem impertitus est *Caesari Atestino*, Alfonsi nothi filio, sub lege fidelis obseqvii, quod Imperatori et Regi Italiae debetur. Contra fecit nuper Franciscus I. et spreta Ferdinandi III. auctoritate, milites ad oppugnandos Insubres in aciem eduxit, ducatumque finitimum externo transalpini Regis auxilio nixus vastavit. Idcirco Ferdinandus pro constituta Italiae pace annitens, remedium ei malo paravit, et ni ab armis desisteret, poena amissionis beneficiorum, et proscriptiōnis publicae denunciata, exemplum Henrici VII. secutus, a proposito retraxit Ducem. *V. post Aeneam, Gvicciardinum, Pignam, Alf. Loschi, et auctor de iustitia armorum Imp. contra Mutinae Regique Ducem, et discussio querelarum, pro defensione Imperatoris scripta.*

XXVI. Etruriae Ducatus consilio et opibus Mediceis fundatus, et auspicio beneficioque Caroli V. constitutus, annidente in primis Clemente VII. ut gentis suae potentiam in per-

verusta et splendida Etruscorum urbe confirmaret. Respon-  
dit huius consilio eventus, et *Florentiae*, armis ad obsequium  
redactae, pro summo Caesaris in urbem imperio Alexander  
Mediceus, Laurentii filius, dux impositus, eoq; caeso Cosmus,  
principatum urbis volente etiam populo adeptus, *Senarum* ur-  
bem, in fundo imperii sitam, adiecit, ea lege, ut Regis Hispa-  
niae beneficio urbem et agrum possideret deinceps et agno-  
sceret; Rex autem eo nomine Imperio, nemine interiecto,  
beneficiarius maneret. Clientela ergo Senensis est *subfeudi*  
*iure* constituta, et cum imperio, ad quod pertinet, et a quo Hi-  
spanus suscipit, etiamnum coniuncta. Igitur decreto Pii V.  
intercessum est, quo hic Cosmum Etruriae Regen appellare  
voluit, obnidente Maximiliano II. auctoritatis suae, et Imperii  
causa, quod unus ille Imperator Augustus, et Rex Italiae esset,  
neque aliis in Italia *imperiali et regia* principes creare, aut prin-  
cipibus ius dicere, et tribuere dignitates principales posset. Res  
tandem eo deducta est, ut Cosmus in magni Ducis titulo acqui-  
sceret, et Etruria, quae nunquam duces, aliquando Marchi-  
ones sub Regum potestate habuit, in conditione et fortuna ma-  
gni ducatus permaneret. Nihilo magis *Pisanae* urbis iuri re-  
nunciatum est, quae Imperatores omni honore cultuqe affe-  
cit, etiam Ludovicum IV. acerrimum iuris Caesarei vindicem,  
ut est apud Mussatum. *Pisas, inquit, ubi Ludovici obedientia, et*  
*fides imperii servabantur, in Ludov. Bav. p. 5.* Nec vero Au-  
strii, urbem agrumque Pisaniū a regno Italiae abstraxerunt,  
neque summam eius potestatem in Mediceos transtulerunt,  
nec per leges Imperii transferre potuerunt, quippe quas ipsimet  
Austrii possessoribus malae fidei saepe obiecerunt. Faceant  
igitur et valeant rugigeruli isti, qui Tusciae Liguriaeq; urbes  
a Rudolpho I. venditas, et Italiam fere reliquam a Luzelburgi-  
cis venundatam atque alienatam, audaci, et animadversione  
digna licentia scribunt. Ex Thuano gravi, et rerum perito  
scri-

scriptore liqvet, Cosnum pro fiduciario Imperii principe habitum semper et agnatum, eiusque filium et successorem Franciscum, in paterna dignitate, et magno Etruriae ducatu a Maximiliano II. Caesare confirmatum, qvod nemo sit, qvin existimet, a summo directoqe Caesaris dominio profieisci. *Histor. lib. LIV. et LX.* Nihil addo de oppidis, et *dominiis* minoribus aliis, qvac magnus Dux proxime, aut remote beneficio Imperii agnoscit. Similiter atque se res habet cum *Illa*, maris Tyrrheni insula, cuius partem, et nominatim oppidum portumque Ferrarium eodem iure, sed interveniente beneficiario proprio, tenet, atque huius dominii ratione *subvasallus* Imperii constituitur, et usu tribunalium vocatur.

XXVII. Parma et Placentia in solo Langobardico sitae, et diu in ducatum Langobardici nominis conflatae, at postea velut soluta compage separatae sunt, atque ad ditionem Pontificiam traductae, neque sic tamen prorsus a iure Imperii exceptae. Vrbium harum ea qvondam conditio fuit, ut a vicariis et potestatibus, quemadmodum aliae regni Italici urbes, regerentur, eaqve de causa inter Langobardicas, et Caesarum nomine imperioqe constitutas referrentur. Parmenses Ludovicō IV. Imp. fideles extitisse, narrat *Mussatus in eo, p. 8.* Placentiam Mediolano adiectam, res Maphaei *Vicecomitis* confirmant, qvam iure huius ducatus repetiit, ac reddi postulavit Carolus V. qvod ex *Gricciardino et Tbuano constat.* Praeter duos hos ducatus alias clientelas, et sine dubitatione Imperio devictas habent, qvas Imperatorum concessu accipiunt, et conservant. Omitto reliquos, et minores Italiae Principes, Imperatorum auctoritate beneficioqe constitutos, et fide ac sacramenti religione Imperatoribus devictos, aut remote saltem, intericto propiore aliquo principe, clientelae vinculo illigatos, omnes tamen arctissima officiorum necessitudine capitū suo coniunctos, et uno, qvod neminem excipit, Imperio com-

D 2

pre-

prehensos. Qvo loco numeroqve sunt cuncti duces et principes, qvos universa qvidein Langobardia habet, qvos Gallia Cisalpina et subalpina citra atqve ultra Padum includit, qvos Liguria et Etruria, non exclusis Genua et Luca urbibus, continet, qvos deniqve omnes regni Veteris Italici reliquia trans Apenninum complectuntur. Magnum ergo decus, nostra memoria, ad Germaniam accessit, qvod LEOPOLDVS, instaurata per Italiam auctoritate, et recepto ad Padum castro *Casalensi*, regnum illud in obseqvio confirmatum, ab externo dominatu liberavit, ac iure suo regio, qvod in Italia obtinet, usus est, et collationes belli Italici causa imperavit, *Xenia* antiquo, necdum antiquato Imperatorum iure exegit, lites Principum Italiae diremit, negotia successionis, tutelae, legibus composuit, regionum et finium controversias decidit, deqve omnibus ad *regalia* pertinentibus more maiorum cognovit et iudicavit, ac munere tam iusto, qvam omnibus Augustis glorioso perfunctus, non modo nullum *derelicti* signum, sed nullam qvoqve *derelingendi* suspicionem praebuit, constituto per Italiam *fisci Imperialis Advocato*, ac demandatis Comiti Mediobarbo partibus, qvos pro fide sua, et dignitate publica sustineret, regniqve Italici clientelas, et partes earum atqve accessiones, ex superiorum temporum caligine in lucem revocaret, perqvireret, et summo Italiae iudici denunciaret: cuius rei, vindicatiqve Caesarei ultra Alpes et Apenninum iuris, monumentum Augusto vindici aeternum apud posteros extabit, et omnes qvotqvot futuri sunt, successores admonebit, AVGVSTOS non minuere Imperium, sed augere, id qvod ante Leopoldum dixit, et simili exemplo comprobavit Fridericus IV. ex augusta

Austriorum gente Imperator.

) : o : (

1017

B. h. II, 49.  
S. 7, i. 6.

A  
V  
I  
CON  
SCI  
THE

3196 2087



T I

VELE  
HIO,  
COLA,

N.

NEM.

